

NOBILISSIMO CLARISSIMOQVE VIRO DOMINO D.

IOANNI MERLET

FACVLTATIS MEDICÆ PARISIENSIS

DECANO MERITISSIMO.

IOANNES DE SAINCT-YON.

NON *eſt quod mireris* (DECANE ORNATISSIME) *me in hoc Iatrico curriculo verſantem tuum implorare patrocinium, etenim apud quem æquius aut honeſtius poſſem confugere niſi ad eum quem vt diuina quædam ſors ſtudiorum noſtrorum fecit arbitrum, ita ſingularis eius in me beneuolentia atque humanitas reddidit omni commendatione ſuperiorem; non recenſebo tua in me collata beneficia quæ tam liberè profudiſti, cum adhuc in primis Medicinæ elementis verſarer, tacebo qua arte atque induſtria labantem animum erexeris, firmaueris titubantem, neque enim ſuppetunt verba quibus eloquentiæ tuæ vires valeam enunciare. Dicerem etiam aliquid de eximiæ tuæ virtutis commendatione, niſi modeſtiam tuam vererer offendere, quæ nihil habet magis commendatum quam à nullo commendari. Patere igitur* (DECANE DIGNISSIME) *hos Medicinæ tuæ fructus ſub tuis auſpicijs prodire in lucem, hancque obſeruantiæ in te meæ teſtificationem futuris ætatibus innoteſcere.*

k

QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXII. FEBRVARII.
M. SEBASTIANO RAINSSANT Doctore Medico, Moderatore.

Est-ne perspiratio sanitatis vindex? 955

ELEMENTORVM ἀσυμβόλων discors concordia arctissimo necessitudinis vinculo mixta omnia continet ac regit: in his ignis vt supremum locum, ita principatum tenet, interdum non sine tyrannide. In paruo mundo, æquè ac magno, sese prodit motu perpeti, feriatur nunquam, nec se vni substrahit operi, nisi vt alteri incumbat impensiùs. Nihil non molitur, omnia inchoat, dispensat, agit, perficit. Illius ope singulæ partes, priuatæ, publicæ, sua obeunt munia; cerebrum, sensus & motus; cor, vitæ & pulsus; hepar, nutritionis, accretionis, generationis. Dum triplicem adornat coctionem in ventriculo, hepate, totóque corpore, cujusque reliquias amandat per aluum, renes, & exteriorem cutim, commune corporis emunctorium, ex triplici quod ipsa excipit excremento, terreno, aqueo, vaporoso igneo. Halitus maximè naturalis, sed insensilis, cæteras euacuationis species σταθμῷ & δυνάμει immane quantum superat.

SEIPSVM ignorat, qui iugem nec vnquam interruptam humoris primæui à calore interno, externo, ruinam non aduertit, quam accelerat excrementorum prouentus, parciùs resarcit alimentum triplex, cibus, potus, spiritus. Hic, inaspectabilis licet, potentissimus est omnium quæ extra & intra corpus contingunt, διαπνοῆς. Illic tempestates anni moderatur, igni pabulum, aquæ motum, terræ fœcunditatem, satis vitam, animalibus sensum subministrat, superiorum in hæc inferiora virtutes deducit. Hîc morborum & sanitatis, vitæ ac mortis auctor existit; vno verbo Iouis plena omnia. Frustra eum ementitur flatus, qui perspiratu prohibito intrò coercitus in ichorem abit, cachexiam inducturus, ni manifesta per aluum aut renes excretione discrimen auertatur. Διαπνοὴ in sudorem commutat cibus vberior, motus violentus, calor languidus. Sibi mutuas præstant operas sensibilis & insensibilis euacuatio, sed robustus calor per transpiratum, infirmus per secessum, eorum medius, per mictum & sudorem excernit.

SANITATEM constituit partium similarium εὐκρασία, organicarum συμμετρία, omnium ἕνωσις, obeundis actionibus & perferendis laboribus accommodata. Definit eam εὐσαρκία & μετριότης ad stateram semper non exploranda. Abeunti succedit lassitudo τονώδης, ἑλκώδης, φλεγμονώδης; tensiuæ remedium χάλασις, vlcerosæ ἀναφόρησις, inflammatoriæ κένωσις, omnibus ac singulis transpiratus, quem nisi natura promoueat, procurat balneum humidum, siccum, frictio mollis, dura, motus blandus, vehemens, immo & quies. Hidrotica & diuretica ægrotantium sunt, non sanorum solatia. Suppressio fuliginum, proxima est ad putredinem via. Ἀδιαπνευστίαν præcedit humoris copia, lentor, crassities, caloris imbecillitas, meatuum angustia; sequitur malorum ilias nulli parti non pestifera. Inde apoplexia cerebro, cordi palmos, hepati χάκωσις, vtero præfocatio, animo mœror: eam accersunt ἔξωθεν, aër austrinus, inæqualis, natatio in frigida, aluminosa balnea, Lunæ radij, aqua cœnosa, immodicus corporis & animi motus, stragularum copia, penuria: ἀπὸ τῶν ἐσιόντων, cibus crudus, multus, parcus, primæ coctionis vitium, quam secunda & tertia nunquam emendant.

TRANSPIRATIO insensilis est totius corporis ex ingressu egressúque aëris arteriolarum & caloris natiui ministerio facta euacuatio. In ecstaticis, syncopticis, hystericis & plerisque animalibus respirationis vices obit, non pulmonum vel diaphragmatis, sed arteriarum operâ. Hâc primùm viuunt in vtero animalia & plantæ, dispari licet ratione. Duplici constat officio, transsumptione, hoc est aëris substantiâ & qualitate calorem internum recreantis attractione (quâ etiam nutriri corpora admotis ventriculo & vmbilico emplastris, non alienum à ratione ducimus) & difflatione siue fuliginum adustarum explosione, quâ cessante suffocatio; non secus ad illâ deficiente, caloris natiui marcor succedit. Διαπνοῆς auctor est calor, tum internus, qui superflua tantùm eáq; cocta præsertim à somno κατὰ λόγον excutit; tum externus, qui vtile cum molesto, crudum cum cocto promiscuè παραλόγως virium dispendio excernit. Illius ratio pro naturarum, ætatum, regionum, tempestatum, studiorum, alimentorum varietate varia, Deprehendi solet leuitatis sensu, maximè in accliuium ascensu; quamuis eam cum maiori minoríue corporis pondere reperiri nihil vetat.

HVMANVM corpus obeundæ perspirationi crebris distinctum poris velut spiraculis & infinitis peruium foraminulis fuit, quorum angustia & πύκνωσις omnium ferè morborum parens existit. Eius primogenita soboles febris putrida, quam infringit pandiculatio, iugulat liberalis διαπνοή, in continuis critica, in intermittentibus salutaris. Quòd crassissimus in arthritide humor euanescat, in hydrope tenuissimus subsistat, διαπνοῇ, tribuendum. Oleosis vlcera, præcipuè maligna efferantur difflatione prohibitâ. Morborum ferax autumnus concluso intus acri effluuio quod æstatis calore discutiebatur. Somno quieto æquè ac violento exercitio aut sudore largo per ambitum corporis dissipatur. In motu animi & corporis vis sua & momentum. Est aliquid à mente, mole minimum, virtute maximum, quod ipsum sapientem momento cogit desipere. Ab irâ, spe & perichariâ corpori accedit agilitas, grauitas à metu & mœrore. Salubritatis dotes adimplet moderatum gaudium, improuisum & immodicum nimiâ & præcipiti spirituum dissipatione non paucis exitio fuit. Quantum coquendo conducit quies & somnus, tantum digerendo motus & vigilia. Insolatio, arenæ calentes, thermæ, vehementiora sunt quàm vt à studioso sanitatis vsurpentur. Sales, trochisci viperini, aquarum theriacalium vsus frequens excusso vnà cum fuligine alimentario succo marasmum inferunt. Vna transpiratio moderata optanda & prouocanda: infinitis enim commodis corpus iuxta & mentem beat.

Est ergo perspiratio sanitatis vindex.

Proponebat Lutetiæ IOANNES DE SAINCT-YON Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XLVI.